

R. C. Ant. N. Cons. Quia Trid. Sess. 25. C. 19. tantum dicit, talem post quinquennium non esse audiendum (nisi forte eo quinquennii lapsu reclamare non potuisset); non vero statuit eum fieri simul vere Professum: nec poterat hoc dicere; ut enim vere Professus fias, requiritur proprius tuus et liber consensus, quem nemo alius, nec Ecclesia, te nolente, ponere potest, nec supplere. At lex humana ex dominio alto in bona civium potest, habitis justis causis, dumque id poscit bonum publicum, dominium auferre uni, et adjudicare alteri.

ARTICULUS II.

AN ET QUALIS BONA FIDES SIT AD PRÆSCRIPTIONEM NECESSARIA?

388. *Præmitto.* Bona fides hic est conscientia, vel existimatio sincera, qua quis judicat, se nihil agere contra jus alienum; unde mala fides e contra est conscientia, vel judicium, quo quis existimat, se agere contra jus alterius possidendo rem; vel faciendo aliquid, aut omittendo. Fides in materia præscriptionis alia est *positive* bona, cum quis ex probabili saltem, vel positivo fundamento judicat, se nihil contra jus alterius agere sive possidendo, sive faciendo, sive omittendo aliquid. Alia *negative* bona, cum quis simpliciter ignoret, vel etiam dubitet negative, annon agat contra jus alterius; annon res sit aliena; vel annon obligationem habeat aliquid agendi, vel omittendi. Ille vero negative dubitare dicitur, qui nullam habet sufficientem rationem, ex qua prudenter judicet, rem non esse alienam, vel se esse immunem ab obligatione aliqua; si enim haberet rationem prudente dignam, jam positive dubitaret.

Tam negativum, quam positivum dubium dividitur in speculativum et practicum. *Speculativum* erit in præsentia materia, cum quis dubitat, num res sua sit, vel aliena; an sit liber ab obligatione vel non, ita ut animus inter utrumque fluctuet. *Practicum*, dum quis dubitat, an licite hanc rem possideat; hoc, vel illud agat, aut omittat, ita ut non solum de dominio rei vel immunitate ab obligatione, sed etiam de ipsa possessionis, actionis, vel omissionis honestate et licentia, an hic et nunc licite possideat, agat, omittat, dubius hæreat et suspensus. Juxta Theologiæ moralis principia certa, stante dubio practico, agere non licet, cum juxta Apostolum omne, *quod non ex fide*, conscientia certa, *peccatum sit*, eo quod sic dubitans, si operari velit, se exponat periculo peccandi; hinc ante deponi debet, per formationem prudentis dictaminis reflexi, quo judicet certo saltem moraliter, hic et nunc se licite agere, non contra jus alterius. Speculativum deponi necessario non debet; quin sæpe non potest; quia præscribens sæpe non potest habere judicium speculative certum, quod res sit sua, vel sit immunis ab obligatione; cum per præscriptionem acquiratur primum rei dominium, vel immunitas: ac si judicium speculativum, quod res sit sua, vel immunis sit, esset certum, jam res esset sua, vel esset immunis ante præscriptionem.

Præterea bona fides rursus alia est *theologicæ bona*, dum quis sincere existimat, se non agere contra jus quoddam alterius: alia *juridicæ bona*, dum quis præsumitur a jure nihil possidere alienum, vel agere contra jus alterius. Potest vero quis esse in fide theologicæ bona, et simul esse in fide

mala juridicæ: sic qui ignorat, esse a jure prohibitum aliquid emere a pupillo, emit quidem ab eo, emptumque possidet fide theologicæ bona; non vero juridicæ, nisi persona privilegiata esset, in qua scilicet toleratur ignorantia juris clari, ut est miles, minorennis, etc.; quia jure præsumunt, eum scivisse legem prohibentem, consequenter cum scientia egisse contra suam obligationem. Item, sic licet quis sit et maneat in fide bona theologicæ, dum illi super re possessa lis movetur, per hanc tamen contestationem litis inducitur fides juridicæ mala propter præsumptionem juris in contrarium.

389. *Dico I.* Ad omnem præscriptionem tam inchoandam, quam continuandam requiritur fides theologicæ bona.

Prob. ex c. fin. de Præscript. quod ex Conc. *Lateranensi* sub INNOCENTIO III. ubi: *Quoniam omne quod non ex fide peccatum est, synodali judicio destinum, ut nulla valeat absque bona fide præscriptio tam canonica, quam civilis, cum generaliter sit omni constitutioni atque consuetudini derogandum, quæ absque peccato mortali non potest observari. Unde oportet, ut, qui præscribit, in nulla temporis parte rei habeat conscientiam alienæ.* Illa vero Concilii verba accipi de fide theologicæ bona, exinde liquet, quod Apostoli sententiam allegat: *omne, quod non ex fide peccatum est.* Igitur ex mente Pontificis et Concilii tam ad continuationem, usque ad completum præscriptionis tempus, quam ejus inchoationem hæc bona fides necessaria est. Loqui vero hic Concilium de solo *injustitiæ* peccato, planum fit ex subjecta materia, cum statim inde inferat: *Unde oportet, ut, qui præscribit, in nulla temporis parte rei habeat conscientiam alienæ.* Alia igitur peccata, ut contra charitatem, quod etiam avaro animo possideat, etc. præscriptionem non impediunt.

390. *Dices I.* Leges civiles ad præscriptionem longissimi temporis, vel *extraordinariam inchoandam* non requirunt bonam fidem: nec ad præscriptionem *ordinariam continuandam*, *L. Un. C. de Usucap. transform.* Quin idem jure Canonico asseritur. *C. 15. Caus. XVI. Q. 3.* Ergo.

R. Juri civili esse ea in re derogatum a jure canonico, ut constat ex *c. fin. cit.* Unde etiam R. I. in 6. *Possessor malæ fidei ullo tempore non præscribit.* Cujus regulæ duplex esse sensus potest, et uterque verus: primus, quod si vel ullo possessionis tempore sit malæ fidei possessor, non præscribat. Alter, quod si malæ fidei sit ab initio possessor, nullo unquam, quantumvis longo tempore, præscribat. *Can. 15. cit.* utpote quem GRATIANUS ex jure civili, §. *diutina. Inst. de Usucap.* desumpsit, per consequens æque derogatum est. Neque dici potest, hanc constitutionem *c. fin. h. t.* tenere pro terris tantum Pontificiis, ut vult Glossa; nam ubi materia peccati intervenit, vel quod sine peccato fieri non potest, non solum terras Pontificias, sed fideles omnes stringit, sed et propterea in ipso foro civili leges illæ civiles antiquatæ sunt, non tantum apud Catholicos, sed et Protestantibus. *MYSING. Cent. 4. Observ. 6. GAL. Observ. 18. Hopp. ad Tit. de Usucap. in Inst. ubi: Moribus hodiernis ubique fere locorum ad ductum juris canonici toto temporis decursu requiritur bona fides ad omnem præscriptionem.*

391. *Dices 2.* Si requireretur bona fides ad præscriptionem, nunquam

posset præscribi contra legem humanam, quod tamen alias admittitur. *Prob. Seq.* quia actus primo contra legem scienter ex hoc fine positi, sunt peccaminosi, si lex ea obliget simul in conscientia; ergo contra hanc præscribere volentes in mala fide constituunt.

R. Præscriptio, quæ subin lex humana tolli dicitur, non est proprie dicta præscriptio, sed consuetudo legi contraria; et per hanc, non veram præscriptionem tollitur lex; consuetudo autem in hoc inter alia differt a præscriptione vera, quod dum est in fieri, non requirit bonam fidem, secus ac præscriptio. Ac ratio disparitatis est, quod, licet consuetudo, dum est *in fieri* propter actus scienter contra legem positos constituat transgressores in mala fide, nec fit tunc rationabilis; postquam tamen legis violatio communis evasit, diuturnis populi moribus, ut legis observatio amplius sperari non possit, lex desinit esse utilis; imo incipit esse noxia salutis aeternæ membrorum; unde quia legislator vel maxime debet subditorum respicere salutem, consentit saltem consensu tacito et legali, quia lex ipsa consuetudinem legitime inductam approbat, in suæ legis cessationem; non sic consentit in malæ fidei præscriptionem; et merito; 1º. quia in hac agitur de damno et præjudicio dominorum ac membrorum Reipublicæ; non in consuetudine. 2º. Publicum bonum exigit non permitti cum mala fide præscriptionem currere, cum aperte januâs ac vias fraudibus panderet rapacium hominum, si scirent se post longi licet temporis iniquam possessionem tandem fore dominos, quod non posset non redundare in damnum innocentium ac Reipublicæ. E contra ad bonum subditorum spectat, ut, quando diuturna experientia constat, legem esse potius lapidem offensionis, præbendo laqueum conscientis, tum lex cesset ex dictis obligare, cum hoc bonum præponderet illi, quod sperari posset ex perseverantia obligationis. Unde ultimata utriusque ratio in bono publico radiceatur.

Nec obstat, quod *c. fin. de Consuet.* dicitur, hujusmodi consuetudinem debere esse *legitime præscriptam*; quia per hoc solum indicatur, quod debeat habere actus possessorios frequentatos, non interruptos, et sic etiam requiratur tempus longum, sicut etiam præscriptio requirit actus possessorios, non interruptos, et tempus a jure definitum.

392. *Dices 3.* Potest inchoari et continuari præscriptio cum scientia rei alienæ, vel juris alterius; ergo universaliter mala fides præscriptioni non obest. *Prob. Ant. 1.* Qui invincibiliter ignorat, rem esse Caii, cujus tamen revera est, et simul per errorem putat esse Sempronii, cujus tamen re ipsa non est, præscribit contra Caium; et tamen simul in mala fide est. 2. Actor per secundum decretum judicis immissus in possessionem honorum rei contumacis potest illa præscribere, saltem certo, si actio contra reum solum personalis sit; et tamen hic adest rei alienæ scientia. 3. Id clarius patet in *præscriptione privativa*, qua jus alterius sive reale, sive personale extinguitur; ita per præscriptionem extinguuntur actiones pœnales, etsi reus sciat, quod iudex vel altera pars jus habeat pœnam exigendi: sic quoque præscribitur servituti rusticæ, ut si habeas servitutem passivam itineris, actus, et habens servitutem activam eo jure diu non utatur, scilicet decennio, præscribis immunitatem, etsi probe scias jus alterius, quod habet eundi per tuum prædium.

R. *D. Ant.* Si scientia rei alienæ, vel juris non sit simul conjuncta cum peccato gravi injustitiæ *C.* si sit cum hoc conjuncta *N. Ant. et Cons.* Hæc tantum scientia, quæ cum peccato gravi injustitiæ conjuncta, præscriptionem vitiat, nec aliud vult *c. fin. h. t.*, ac patet vel ex ipsis duobus exemplis ultimis; sic rem alienam omnium consensu possidet licite, qui auctoritate legis possidet, *L. 11. ff. de acq. vel amitt. Poss. L. 137. ff. de R. L.* item qui auctoritate judicis, ut in *prob. 2º.*; sic acquiris immunitatem a servitute rustica per non usum alterius, quia, etsi scias alienum jus, non tamen illud violas; igitur non agis mala fide; sed tantum alterum non mones; monere autem non teneris; ut colligitur ex *L. 13. C. de Servit. et aqu.* ubi: *ut omnes servitutes non utendo amittantur.* Pariter ut te sponte pœnæ offeras, nullo jure obligaris. Aliud est, si præscribere volens, per actus positivos scienter lædas jus alterius.

Ad prob. 1ºm. R. Affirmat FELIX in *cap. fin. de Præscript.* at negant probabilius alii. Ratio est, quod talis vere peccet peccato injustitiæ possidendo, reque ipsa malam habeat fidem, cui jura nullo modo indulgere volunt præscriptionis beneficium.

393. *Dices 4.* Si ita præscribi possit ex dictis servituti rusticæ, actionibus pœnalibus præscriptione privativa cum scientia juris alieni; ergo neque scientia juris alieni oberit bonæ fidei in præscriptione privativa, qua extinguitur debitum, atque actiones personales intra 30. annos, modo debitum sit *indefinite contractum*, ac neque jus, neque debitor intra hoc tempus solutionem exigit.

R. *C. seq.* cum PANORM. BARTOLO, HOSTIENS. VASQ. SCHMIER, PICHLER aliisque contra COVARR. GAIL. MYNSING. HAUNOLD. ENGEL et alios, ex sequentibus rationibus: 1º. Quia scientia juris alieni in actionibus ex debito indefinite contracto, et non exacto a creditore non obstat bonæ fidei, nec præscriptionem impedit 1. de jure civili; 2. nec de jure canonico; ergo. *Pars prior de jure civili* admittitur ab omnibus. *Prob. p. 2. de jure can.* Jus canonicum solum correxit jus civile, quatenus in præscribente peccatum injustitiæ intervenit; sed hoc in dato casu non intervenit; ergo. *Prob. min.* qui enim præcise scit jus alterius, non hoc ipso agit contra jus alterius, si non solvat, si nec ab homine, nec a die, nec a jure interpellatur; quia tunc solvere non tenetur, *arg. L. 5. ff. de R. C. L. 10. C. de pignor.* prudenter enim tunc judicat, se non teneri ad solvendum, antequam exigatur: ergo nec intervenit peccatum injustitiæ, dum differtur solutio.

2º. Sic hæres præscribit legatum relictum alteri, si legatarius, sciens legatum, hoc intra 30. annos non petat, quin obstat, quod hæres sciat, illud esse alteri relictum. Sic proprietarius præscribit usufructui, quem habet alius, si longo tempore ille suo jure non utatur, etsi proprietarius sciat hoc jus competere alteri, *L. 25. ff. quib. mod. ususfr. amitt.* ac clarissime, *L. 13. C. de servit. et aqu.*; ergo idem de aliis actionibus personalibus dicendum. *Prob. Cons.* ideo enim in prioribus exemplis procedit præscriptio, quia hæres non tenetur præstare legatum ante, quam petatur a legatario, nec hunc omittentem petere tenetur sui juris commonere; pariter neque dominus usufructuarium; et quia jura hæc sunt restricta ad usum pro certo tempore, ita, ut si intra hoc non exerceantur, ipso non usu pereant: atqui et in nostro casu debitor non tenetur solvere prius, quam creditor exigit;

neque exigere omnitemperare tenetur; ac demum actiones personales sine discrimine sunt restrictæ a jure ad usum, sic ut pereant, si intra 30. annos non moveantur, *L. 3. 4. C. de Præscr. 30. vel 40. ann. L. 1. C. de ann. Except.* Nihilominus juxta ipsam objectionem responsio

Limitatur 1°. *Si debitum indefinite contractum sit*, h. e. cujus solutioni ex conventionem non est certum tempus præfixum; si enim præfixum esset tempus, tum pro creditore; etsi hic non exigeret, ipsa dies interpellaret, ut proin ab illo tempore debitor amplius in bona fide non esset.

2°. *Neque jus solutionem exigat*, velut in emptione et venditione exigat, ut emptor, cum mercem accepit, quam primum commode potest, solvat pretium, ne scilicet mercem simul et pretium retineat; interpellatio enim juris idem præstat, quod interpellatio hominis, *L. 12. de contrah. et committ. stipul. c. fin. de locato.*

3°. *Nec creditor solutionem exigat*; quod si enim hic exigat, hoc ipso debitor non solvens in mora est, et culpa; proinde non in bona fide; adeoque neque procedere potest præscriptio. Nunc cum parte adversa

394. *Si dicas* 1°. Vel debitor, qui scit suam obligationem, et jus alterius, habet animum solvendi, vel non? *Si primum*; ergo non est in quasi possessione libertatis suæ a solvendo debito, itaque præscribere non potest, cum ad omnem præscriptionem requiratur possessio, vel quasi possessio. *Si secundum*; non est in bona fide, sine qua nulla currit præscriptio.

R. 1°. Retorqueo in exemplis supra allatis.

R. 2°. Habet semper animum solvendi, sed sub conditione, *si creditor exegerit*; atque simul est in bona fide, et quasi possessione libertatis suæ, quæ non nisi per exactionem tollitur.

Si dicas 2°. *c. 5. de Præscr.* prohibetur præscriptio tricennalis et quadragenalis cum scientia: sed hæc præscriptio tricennalis et quadragenalis fuerat contra actiones personales introducta; ergo.

R. *D. M.* Prohibetur præscriptio illa cum scientia, quæ est conjuncta cum peccato injustitiæ *C. alia N.* Loquitur enim *cap. cit.* de malæ fidei possessoribus prædiorum alienorum, ut legenti patebit; hinc et *N. min.* quia contra possessores prædiorum iniquos non personalis, sed realis datur actio.

Si dicas 3°. Sciens rem esse alienam, eamque possidere vel incipiens, vel continuans est in mala fide, nec potest præscribere; ergo etiam sciens jus alienum, et illi non satisfaciens est in mala fide, nec præscribere poterit.

R. 1°. *D. Ant.* Sciens rem alienam eamque possidens *injuste*, est in mala fide, etc. *C. possidens juste*, ut auctoritate juris, vel judicis, ut supra dictum *N.* Non enim sola rei alienæ scientia, quando non jungitur cum peccato injustitiæ, obest bonæ fidei, *L. 28. ff. de nox. Act. ubi*, excluso peccato injustitiæ, dicitur, *usu quoque me capturum, quamvis sciens alienum possideam.* Igitur sub data distinctione

R. 2°. *T. Ant. N. Cons.* *Disparitas* est, quod in materia præscriptionis non sit eadem ratio rerum corporalium, tum jurium incorporalium, sive actionum personalium; hoc ipso enim, quod quis sciat rem esse alienam, ac tamen possideat, possidet *injuste*, exceptis ante casibus; quia agit contra jus alterius; igitur hoc ipso est in mala fide, et peccat contra justitiam. At vero sciens jus alterius, non hoc ipso agit contra illud, quando

alter usum non exigat, vel præstationem, et prior ante exactionem præstare non tenetur. *Nec obstat*: quod *L. 23. ff. de V. S.* nomine rei, etiam jus veniat; nam hoc neque universaliter respectu cujusque materiæ dicitur, neque tenet; secus enim, cui competit jus ad rem, etiam, ut recte *Pichler* hic, competeret jus in re, et cui datur actio personalis, etiam realis data esset. Sub nomine igitur *rei* etiam aliquando venit *jus*, sed quando id subiecta materia patitur; non vero id patitur universim materia præscriptionis juxta datam disparitatem. Hinc, si velis, etiam sic recte distingues *Cons.* Ergo etiam sciens jus alienum scientia conjuncta cum peccato injustitiæ est in mala fide *C. secus N.*

Neque hinc inferas: Igitur omne jus incorporale, venandi, pascendi, ligandi, altius tollendi itineris, actus activi, etc., præscriptione acquiritur, etiamsi sciat quis jus alienum; nam *N. illat.* hæc enim et horum præscriptio est positiva, quæ novum jus positive acquiritur; ad hanc vero præter possessionem proprie talem, ac titulum positivum necessario requiruntur actus positivi; hos igitur qui sciens alienum jus nihilominus ponit, contra illud *agendo* jus alienum lædit, sicque mala fide agens contra justitiam delinquit; ad præscriptionem contra privativam, qua solum jus alterius extinguitur, nihil positivum in præscribente requiritur, velut in debitore, sed sufficit non usus alterius, creditoris.

Dices 5. Venditor sciens vitium rei venditæ præscribit actioni redhibitorie intra sex menses de jure communi, et tamen talis venditor est in mala fide; ergo.

R. *N.* quod talis venditor præscribat; sed solum post lapsum dicti temporis negatur a jure actio emptori contractum rescindendi, et redhibitionem petere volenti, ne nimium multiplicentur lites; sicut et negatur actio infra dimidium læso, relicta tamen apud lædentem obligatione in conscientia ad resarciendum damnum parti læsæ.

395. *Dico II.* Præter fidem theologice bonam, etiam juridicæ bona ad præscriptionem saltem ordinariam necessaria est; adeoque ignorantia, vel error juris clari per se loquendo præscriptionem impedit.

Ante prob. obiter noto, ignorantiam aliam esse *facti*, aliam *juris*; hæc est, cum ignoras jus, aut legem, ut si nescias, non licere cum pupillis contrahere, religiosum sine licentia Prælati alienare non posse. Illa est, cum scias quidem legem, ignoras tamen id, quod facis, esse contra legem, ut si nescias eum, quocum contrahis, esse pupillum, vel religiosum licentia Prælati destitutum. Certum vero est, ignorantiam *facti* bonæ fidei nihil officere, sive bonam fidem theologice, sive juridicæ sumas, ex *L. 4. ff. de I. et F. I.* Deinde æque inter auctores convenit, ignorantiam, vel errorem juris dubii, et varie intelligibilis juxta diversas interpretationes probabiles non obesse bonæ fidei, cum tale jus sit nullum jus.

Prob. Concl. Præscriptio omnem vim suam habet a legibus; ergo non valet, etiam pro foro interno, nisi habeat, quæ ad ipsam lege requiruntur: atqui a lege requiritur, ut non procedat ex ignorantia juris clari, saltem in præscriptione ordinaria. *Min. prob. ex L. nunquam 31. ff. de usurp. et usucap. ubi*: *Nunquam in usucapionibus juris error prodesse solet.* Item, *L. Juris. 4. ff. de I. et F. I. Juris ignorantia in usucapionibus negatur*

prodesse. Demum L. 2. §. 15. ff. pro emptore. ubi: Quod si scias pupillum esse, putes tamen, pupillis licere, res suas sine auctoritate tutoris administrare, non usucapies, quia juris error nulli prodest. Jus vero canonicum nihil quoad hoc immutavit.

Dixi 1^o. *per se loquendo*; excipi enim debent personæ, in quibus toleratur ignorantia juris, ut sunt miles, minorennis, L. 9. *pr. et §. 1. ff. de I. et F. I.* Etiam alias feminae, non tamen ubi certant de lucro captando, sed tantum ubi de damno vitando, L. 9. *pr. cit. L. 11. C. eod.* Porro rustici iis in materiis, in quibus eos iudex commiseratione dignos aestimaverit, L. 1. §. *fin. de eden.* ac proin etiam tunc tantum, ubi de vitando damno certant.

2^o. *Saltem ordinariam*; probabilius enim non obest ignorantia juris bonæ fidei ad præscriptionem extraordinariam, sive longissimi temporis, ad quam sufficit titulus præsumptus. Ratio est; quia ubi titulus non requiritur, sed sufficit præsumptio illius, ibi ignorantia juris non potest obesse præscriptioni; sed in præscriptione longissimi temporis titulus non requiritur, sed loco tituli illius præsumptio est; ergo. *Maj. prob.* Ignorantia enim juris solum ideo obest, quia fundat titulum, quem jura improbant; ergo si titulus non requiritur, etiam obesse non potest ignorantia juris. *Min.* patebit ex dicendis de titulo.

396. *Dices 1.* Si ignorantia juris est invincibilis, habetur bona fides; ergo potest cum ignorantia juris inchoari præscriptio.

R. D. Maj. Habetur bona fides tantum theologicæ talis *C.* etiam juridicæ talis *N.* Prior sola autem non sufficit, sed etiam requiritur altera, ut tenet communis contra *MEDINAM* et alios.

Dices 2. Leges a nobis citatæ fundantur in præsumptione malæ fidei, nempe in præsumptione scientiæ juris, *c. 82. de R. I. in 6. Qui contra Jura mercatur, præsumitur bonam fidem non habere*: sed si ignorantia est invincibilis, cessat præsumptio hæc.

R. N. Maj. Etsi enim forte ex una alterave lege ita argui posset; tamen, *L. 2. §. 15. ff. pro empt.* hanc assertionem nullo modo recipit; clare enim dicit: *Si scias pupillum esse, NB. putes autem, etc.* ubi supponit lex, adesse opinionem, quod liceat cum pupillis contrahere, quæ opinio est error in jure, et tamen nulla esse præscriptio declaratur. Igitur jura proprie hic non præsumunt, sed fingunt malam fidem; ac verbum præsumitur in *c. 82. cit.* striete sumi non debet.

Dices 3. Jus canonicum illam solum malam fidem videtur excludere, quæ constituit peccatum grave injustitiæ: atqui ignorantia juris, si invincibilis sit, nullum prorsus peccatum constituit, sed ab hoc excusat, ut certum est omnibus Theologis; ergo hanc ignorantiam neque excludit jus canonicum.

R. N. Maj. Jus canonicum enim solum improbavit malam fidem cum peccato, quam jura Cæsarea admittebant: in cæteris autem, quæ pariter jus Cæsareum requirit ad præscriptionem, nihil jus canonicum immutavit, quia non habuit causam mutandi, cum in iis nulla subsit peccati materia. Deinde notissimi juris est, ea, in quibus jus canonicum nihil disposuit aliter, esse juxta leges civiles regulanda, juxta *c. 1. de N. O. N. Sicut leges non dedignantur sacros canones imitari, ita et sacrorum statuta canonum*

Principum constitutionibus adjuvantur: atqui jus canonicum hic aliud non disposuit; ergo.

Dices 4. Si ignorantia et error juris impediatur præscriptionem ordinariam, pariter impediatur etiam extraordinariam, quia, *L. 31. ff. de Usurp. et Usucap.* simpliciter dicitur, quod *nunquam* possessori prosit error juris.

R. Particulam *nunquam* sumi debere ad mentem *L. cit.* sed lex illa in *ff.* nequit accipi de præscriptione extraordinaria, quia hæc in Digestis est incognita, quæ tantum de ordinaria agunt. Sic et *L. 7. C. h. t.* dum ait simpliciter, quod error juris faciat malæ fidei possessorem, de sola præscriptione ordinaria, utpote de qua sola ibi sermo est, debet intelligi.

Dices 5. In *c. Dudum. de Decim.* Fratres Hospitalis cujusdam Præscriptionem fundabant in donatione facta a rege, qui non poterat donare rem Ecclesiasticam; contra quos pronunciat INNOCENTIUS III. *Nos igitur, cum donatores prædicti conferre non potuerint aliis, quæ ipsi de jure non poterant possidere, etc. prohibemus, ne Fratres Hospitalis præsumant ulterius impedire, quo minus decimas percipias, etc.* non obstante, quod præscriptionem allegarent.

R. In hoc *cap.* non exprimitur, quod fuerit allegata præscriptio longissimi temporis; sed potius indicatur contrarium; nam altera pars replicavit contra prætentam præscriptionem duplici ex capite: 1. quod titulus a dictis Fratribus allegatus sit inhabilis et jure reprobatus; 2. quod tempus requisitum nondum effluerit, ut adeo hinc nostra potius stabilietur sententia.

ARTICULUS III.

AN SEMPER NECESSARIA SIT FIDES POSITIVE BONA, VEL ETIAM NEGATIVE BONA SUFFICIAT? AC QUOMODO FIDES AUCTORIS PROSIT, VEL OBSIT SUCCESSORI IN ORDINE AD PRÆSCRIBENDUM?

397. *Præmitto.* Dubio practico inchoari præscriptionem haud posse, ex dictis Art. præc. liquet; sed et cum eodem nec continuari posse, longe tutior est sententia, atque etiam probabilior, 1^o. spectata auctoritate; cum præter paucos, ENGEL, GLETLE, MOLINA, vix alius contrarium asserat: 2^o. spectatis rationibus; nam 1. id non obscure videtur decerni, *L. 32. §. 1. ff. de Usurp. et Usucap.* ubi: *Si quis id, quod possidet, non putet sibi per leges licere usucapere, dicendum est, etiamsi erret, non procedere tamen ejus usucapionem, vel quia non bona fide videatur possidere, vel quia in jure erranti non procedat usucapio*; quæ lex agit de possidente jam, ac proin de præscriptionis continuatione. Deinde quia præscriptionem continuans cum dubio practico peccat formaliter contra *justitiam*, saltem *affective*, quod respectu talis idem est, ac si *effective* læderet, cum ita comparatus sit, ut possidere velit, etiamsi jus alterius *effective* lædat, quod revera sic possidendo lædere potest. Novi, dici posse, etiam deposito dubio practico, adhuc realiter remanere periculum lædendi jus alienum; æque, ac si non esset depositum; verum cum per principia extrinseca ipsius juris deponendo dubium practicum constituatur in bona fide, statque moraliter certus, se hic et nunc juste possidere, si quæ tamen forte (nam etiam subesse po-